

Historiæ Convulsionum Periodicarum per Clariss.

D^{num} Gui. Cole, *Med. Doct. descriptæ, & communicatæ.*

Convulsionis quintanam observantis periodum.

Febres intermittentes minorum gentium (Quotidianas scil. Tertianas & Quartanas) ubivis pullulascere nimis omnes conscii fumus; & quamvis earum causæ in puteo lateant, de typis tamen sat superque omnibus constat. Quintanarum autem, sextanarum, &c. quæ longius protelatas agnoscunt periodos, quanquam inter authores habeatur mentio, tam raro tamen in praxi occurrunt, ut raro Medicum convenerim, cui talem aliquam vidisse contigit. Mihi quidem ante quadriennium obvenit taliter ægrotans (si modo à periodorum ratione liceat Febrem denominare, ubi non insignis aderat calor, sed nervosi potissimum generis affecti signa) cujus Historiam, quantum suggerit memoria, describam.

Acri erat & lepto ingenio, cujus casum refero, Domina, formosa, *διουπνός*, interque negotia domestica, quæ continuo eam exercitam detinuerunt, plurimum occupata, unde integra per multos annos valetudine potita est, plures licet enixa fuisset liberos. Ante sexennium vero abhinc prægnans, circa medium gestationis tempus, in hystericos (nescio qua *αεσθησι*) incidit affectus, qui, quamvis illo tempore remediis cedebant, subinde tamen recurrebant, licet non admodum frequentes. Tandem instante partus tempore, postquam magis quam par erat (gravi id postulante occasione) sese exercuerat, postfridie (accelerato forsan aliquantulum partus tempore) cum maximis doloribus parturire cæpit, magna effluente sanguinis quantitate, fætu tamen nondum in lucem emisso; donec labantibus viribus, totoque fere, prout

V v 2

astantibus

astantibus visum erat, excreto sanguine, de vita desperatum fuerit. In vitam vero quasi revocata (fatu tandem, sed mortuo, excluso) brevi in convulsivos incidit affectus, qui, non obstante remediorum usu, pertinaciter affligebant, per intervalla licet, ad plures menses, Inde aliquanto melius habuit, licet non in totum à præfatis symptomatis immunis; quæ tandem aucta, non incertis, ut ante, invasionibus molesta erant, sed primo tertianis, si recte teneo, periodis, dein quartanis, & non ita multo post quintanis (h. e. ut quatuor integri dies intercederent inter singulorum paroxysmorum initia) invadebant; idque exacte adeo, ut non certius horologiorum indices ad notatas figuras redeant, quam isti paroxysmi suos repeterent cursus. Incipiebant cum oscitatione, aliquali vigore, & magna urinæ limpida quantitate exclusa; dein ægrotans statim convulsa opus habuit ut astantium manibus prehenderentur ejus manus, secus vel vestes vel faciem dilacerabat, multoque nisu dentibus petebat prehendentium manus, mente omnino capta, & aphona. Postquam per horam unam vel alteram hoc modo convulsa perstitisset, urinæ limpida magna copia identidem reddita, sensim evanuit paroxysmus, obrepente somno, qui per plures horas perseverabat; tandemque, omnium quæ in paroxysmo transacta erant nescia, ad se rediit. Reliquis tribus diebus quamvis à paroxysmo libera, admodum tamen debilis & enervata erat, ut vix è lecto vel sedili surgere, nedum cameram obambulare absque ministrantium satellitio, potuerit.

Curacionem accersitus aggressus sum medicamentis testaceis. & sp. C. Cervi; indicationem sumens à magna illa urinæ profusione, & nervosi generis affectibus, quæ insignem & sanguini, & succo nervoso, acorem impressum fuisse mihi fidem fecerunt. Verum cum pertinaciter, his non obstantibus, hærent paroxysmi, statisque redirent periodis, in mentem venit, istos non aliter tractandos,

standos, quam solent febrium intermittentium. Quamvis enim non tantum præ se ferrent calorem, quantum febres vulgares intermittentes; cum tamen regulariter adeo, uti mos est istiusmodi febrium, procederent, cumque insuper non omnes intermittentes, proprie sic dictæ, eundem observant caloris modum, omnes tamen eodem remedio, Cortice sc. Peruviano, debellentur; statui famosissimo illo specifico hunc affectum aggredi (intercalatis tamen medicamentis supra memoratis, utpote quoniam alte mihi insederat notio dicta de acidis succorum dyscrasia;) Nec fefellit eventus: Postquam enim duas vel tres istius corticis doses ante totidem paroxysmos, pro more tunc temporis (mihi saltem) solenni, exhibueram, sensibilibus ferociam suam deposuerunt, tandem continuata ejusdem exhibitione prorsus evanuerunt, nec, quantum mihi rescisse contigit, postmodum redierunt.

Historia Convulsivi Affectus octonariam periodum à multis annis observantis, per Clariss. D^{num}. Gui. Cole, M. D. descripta & communicata.

Dorothea Cook vidua, sexagenaria, Cossopola Vigorniensis, a triginta sex annis (triduo post nuptias) Epilepticis, nulla notabili *μεθώσει* corripitur cœpit; qui quamvis sub morbi initium frequenter, nullo tamen ordine, recurrebant. Invasio tam subita erat, ut quæ & aliis & sibi perfecte sana videbatur, noctu oculi in hu-